

Nulla gens, inquit Cicero, quæ non, aut ita subacta sit, ut vix extet, aut ita domita, ut quiescat, aut pacata, ut victoria nostra, Imperioque laetetur, tum gentes, quas antea, nullæ literæ, nulla vox, nulla fama notas fecerat, cæteras item partes, quæ vel à gentibus, vel inimicis huic Imperio, vel insidijs, vel incognitis immanibus, & Barbaris tenebantur, nostris armis deuictæ, parere coactæ sunt. Milites quin immò armis insignes, Roma statim habuit, & populum Marte gentium, ut terrigenas cum armis natum existimes. Vnde Pyrrhus, de virtute militum Ro. O quàm facile, inquit, Orbis Imperium occupare, aut mihi Romanis militibus, aut me Regem Romanis Hac virtute maiores nostri, primum vniuersam Italiam deuicerunt, deinceps Carthaginem exciderunt, Naumaniam euerterunt, potissimos Reges, bellicosissimas gentes in deditionem huius Imperij redigerunt. Tot habuit triumphos, quot oræ sunt, partesque Terrarum, tot victorias bellicas, quot sunt in rerum natura genera bellorum. Illud verò sine dubitatione Romanum fundauit Imperium, quòd fundator huius Urbis Romulus fœdere Sabino, docuit, etiam hostibus recipiendis augeri Ciuitatem hanc oportere, Cuius auctoritate, & exemplo nunquàm est intermissa & maioribus nostris, largitio, & communicatio Ciuitatis, itaque ex omnibus generibus gentes vniuersæ in Ciuitatem sunt receptæ, Licet institutum deinde fuit, ne quis nostrum plusquàm vnius Ciuitatis esse posset, ne quis inuitus Ciuitate mutetur, ne e in Ciuitate maneat inuitus. Vnde quidam Athenis numero iudicum adsciti, cum ignorarent, si illam Ciuitatem essent adepti, hanc se perdidisse, nisi postliminio recuperassent. Hic ille Princeps terrarum, gentium victor, dominor vniuersi, supra humanam sortem potentissimus. Hæc est illa Roma, Regina urbium, mundi caput, Ingeniorum parens, gentium hospita, peregrinæ virtute semper patens. Vbi omnis repentina, atque ex virtute nobilitas, ex externis quoque atque Ciuitate donatis. Constat enim ex data non minùs prudenter, quàm liberaliter, Ciuitate, tam Italis, quam externis, & dum nullum fastiditur genus, in quo virtus elucesceret, creuisse Imperium, non propter generis nobilitatem tantùm, sed propter res egregiè gestas, nulla Orbis parte modo essent clari viri. repudiata. Nec verò Asia hîc ab Europa distincta est, sed omnia omnibus in medio posita sunt, nemo censetur, modo sit Imperio, aut fide dignus, sed stat communis Terrarum status, Isque popularis sub optimo Imperatore, atque rectore, Omnesque quasi in commune Forum conueniunt pro suis quisque meritis præmia relaturi. Quòd verò suis finibus, regibusque Ciuitas quepiam est, id ipsum est Hæc vniuerso Orbi, quasi communis vrbs Prouinciæ totius conuentus. Porro dixeris in vnam hanc Arcem coniectos omnes habitatores. Quique per gentes, ac populos diuersa loca incolunt, hæc verò nunquàm vlli defuit, sed ut terræ solum fert omnes, ita & hæc ex vniuerso Orbe confluentes omnes accipit, quasi mare flumina. Quin etiam hoc illic quoque cum mari commune est, quòd nec mare maius sit, fluuiorum influxu, tanquam fato datum sit, ut vnà cum illis amplitudinem quoque influentem recipiat, neque in hac ob magnitudinem quicquam apparet, sed sicuti qui intra sinum recondunt omnia, ita & hæc omnes intra se complexa est. Quippe vltro, citroque meantibus eadem est, eademque visitur. Nulla vrbs tam tenue habuit principium, nec ad tam magnarum fastigia ita maturè peruenit. Cui ab exordio tam simplex vitæ cultus fuit, ut rudi cemento constratas domos, & scandulis roboreis, ac stramentis contectam urbem per annos. CCCC. vsque ad Pyrrhi bellum fuisse, satis constat, & totidem prope annos pultè, pro pane vsos. Post deuictum Orbem delicijs rerum omnium, quas tellus, mareque gignit expleuisse animum. Vrbs tota passim culta, ac frequens agro ad fruges, ad pascua, ad vites gignendas vberrimo, Siluis ad lignandum, & materiam suppeditandam abundè sufficientibus, vbi temperies aeris per quàm læta, & commoda, in voluptatum intemperantia malè audiret, herborum saltus, amœnæ valles, aquarum affluens tellus, Ver vbi perpetuum atque alicnis mensibus Aestas. Solo semper tepido, nunquam colono repugnanti, vbi greges, & armenta, & altilia quæque opimè proueniunt, vbi auium aucupia, & ferarum venationes, accommodatissimè. Sed multò hominum præstantiora ingenia, semper progenuit, quàm reliquis Orbis Terrarum. Gentium enim in toto Orbe præstantissima, haud dubiè, Romana extitit. Omitto generis nobilitatem, à Troianis vsque prius, deinde ab Albanis Regibus, deductam. Quæ nam patria (ut verum fateamur) post natos homines, tot genuit præclarissimos in omni virtuti viros? Curios, Fabritios, Camillos, Carones, Scipiones, Decios, Marcellos, atque alios, quos longùm esset, recensere. Regibus certè maximis, præstantiores, quoniam Regibus imperant, vnde non immeritò, Cyneas Pyrrhi Regis Legatus, fassus est, tot se Reges vidisse, quot ciues. Tradunt Corneliam Scipionis filiam, post mortem Grachi, cum ab Ptolomæo Aegyptiorum Rege, in vxorem peteretur, quòd nuptias suas minimè mereri videretur, respuisse. Præterea omnia Regna in toto Orbe, præter Ro. Imperium, aut breuiter durauerunt, aut modica, aut fabulosa fuerunt, vnum tantùm dictum Imperium & illud Romanum, quod Romæ vsurpatum, primum sub Cæsare Dictatore amplissimum, ac diuturnum locupletissimo etiam Maronis testimonio, cum inquit,

Imperium sine fine dedi.

Nullum enim ab exordio fermè minus, neque incrementis toto Orbe amplius, ab Romulo Rheæ virginis Vestalis, & Martis filio exordium habuit. Nullaque Respub. maior, nec sanctior, nec bonis exemplis ditior. Qui omnium genere mirificorum exemplorum totum Orbem repleuit, militarisque disciplinæ, & seueritatis, & virtutum omnium specimen. Nullos homines benignius inter se viuere, quàm Romanos, nullum Regem Romanis parem, nihil esse, quod hominum manu, & opibus Ro. Imperij effici non posset. Satis constat origini Romanæ, & Deos adfuisse, & non defuturam virtutem. Nullum verò Regnum tam repenti auctum, quàm Alexandri Magni, qui prius sibi visus est comparare Imperium, quàm regnasse, quia dedit leges, nulla constituit militibus stipendia, sed tantum per Regiones discurrit, nec regnum stabilivit, dicere solitus, longè præstantius literis antecedere, quàm Imperio, ac magis amari, quàm timeri. Cæsar autem contra.

Oderint dum metuant.